


Johann Fecht Tobias Waltz


**De Communione Sub Utraque Specie, Theses Theologicae, Martini Becani,
Iesuitae Manual. Contr. lib. I. cap. IX. oppositae**

Durlaci: Müller, 1685

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787862592>

Druck Freier  Zugang





- In Tomo hoc XXXVII. Sunt
1. Jo. Schmid de Peccato. ad 1 Jo. III, 4.
 2. — De libero Arbitrio. Jo. VIII, 36.
 3. Seb. Schmid de script. S. ad 2 Pet. 1, 19. 20. 21.
 4. D. Damhaueri Aethica Sancta sui vindic.
 5. Jo. Faust protri. de electione divina ad Act. XVII, 28.
 6. D. Georij Heberlini fascic. Myrtha. Cant. 1, 13.
 7. Andreas Vivinius ad Galatum II.
 8. Jo. Schmid de Vita Aeterna.
 9. Christiani Metz Manipulus thesauri Praxiani sub B.
Ludgemanno propositarum.
 10. D. Martin Gejeri conformitas Iudeo Passiva in
doctrina de Deo Angelic & Homine.
 11. Christoph Laur. Meelhuber protri. de Chirismo.
 12. Jo. Andr. Quenstedt de Persecutione Venerabil.
 13. Gabrielis Wedderkopff de Atheismo Sconianorum.
 14. Michael Foerisch de Legum naturalium Origine.
 15. — De ordine script. S. prout ea tum. Nat. conc.
mone de B.
 16. & Jo. Fecht de Iudaei Controversiarum.
 16. a. — de Trinitate.
 16. b. — De Pontificatu.
 17. — De Jurisdictione Sacerdotum.
 18. — De Juramento.
 19. — De Communione sub utroque.

20. D. G. Festus de Missa.
 21. —. De sacramentis.
 21. —. De vocatione Ministrorum Ecclesie.
 22. —. De Celibatu eorundem.
 23. —. De Peccato.
 24. Hoornbeeck de Theologia Praxi.
 25. —. Sans postend.
 26. —. de Tentatione Dei.
 27. —. De Autoritate N. Test.
 28. —. De Pietate.
 29. —. De Devotione.
 30. —. De meditatione sacra.
 31 } —. De Studio verbi divini.
 32 } —. —. —. —.
 33. —. De sensu divina gratia.
 34. —. De Fiducia in Deo.
 35. —. De Gaudio spirituali.
 36. —. De zelo.
 37. —. De Consilio.
 38. —. De Ascensione Christi.
 39. —. De gloria Christi celesti.
 40. —. De spiritu S.
 41 } —. De Providentia.
 42 } —. —. —. —.

42 }
 43 }
 44 }
 44 }
 45 }
 46 }
 47 }
 48 }
 49 }
 50 }
 51 }
 52 }
 53 }
 54 }
 55 }
 56 }
 57 }
 58 }
 59 }
 60 }
 61 }
 62 }
 63 }
 64 }

42. } Floornbeck de Predestinationes.

43. }

44. }

44. b. — . De Sabbatho.

45. — . De Ministerii acceptiones.

46. — . De Examine Ministrorum.

47. — . De eorum officio.

48. }

49. }

50. — . De Celestium Vita.

51. }

52. }

53. — . De Fœdere Celestium.

54. — . De Mundo.

55. — . Ad Matt. xxiii, 37.

56. — . — . xl, 20. 21.

57. Jos. Cocceji de divinitate Script.

58. } — . de Perfectione Script.

59. }

60. } — . de Fœdere gratie et Vet. ac N. T.

61. }

62. } — . de eo quod Deus est.

63. }

64. — . de Statu Illuminationis Christi.

65. Io. Coaeji de Regeneratione et Resurrectione.
66. —. De Oblatione Christi.
67. Wetstenij. De Unionis Personalis in Christo Forma,
Tunc Efficitur. etc.
68. — Lucia Gernleri de Forma Unionis Personalis
in Christo.
69. —. De Prophetia Dei.
70. —. De Peccato in Spiritum S.
71. Wetstenij de Praedest. Bonorum et malorum.
72. Gius et Collegam Syllabus Controversiarum

V.

19

DE

DE

COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE,

THESES THEOLOGICÆ,
MARTINI BECANI, Jesuitæ
Manual. Contr. lib. I. cap. IX. oppositæ.

Quas

Ex publicis prælectionibus
Præceptoris mei in æternum venerandi,

DOMINI
JOANNIS FECHTII,

SS. THEOL. LIC. SEREN. PRINC. CONS. ECCLES.
ET CONG. AUL. ILLUST. GYMN. INSP.
ET PROF. P.

Excerptis atque in SOLENNI congressu
Eodem PRÆSIDE

Publico Eruditorum examini subjecit

TOBIAS WALTZ, Wila-Marchicus.

Ad d. 7. Dec. horis pomeridianis,
M DC LXXXV.

DURLACI.

Literis MARTINI MULLERI.

45
44
43
26
27
28
30
52

VIRIS

PLURIMUM REVERENDIS, NOBILISSIMO, AM-
PLISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS

DOMINIS,

DN. JOANNI FECHTIO, SS. THEOL. LIC. SEREN.
PRINC. MARCH. BAD. A CONS. ECCLES. ET CONC. AUL.
ILLUSTR. GYM. DURL. INSPECT. ET PROF. SS. THEOL.

DN. JOH. GERHARDO ARNOLDO, SEREN.
PRINC. MARCH. BAD. A CONS. ECCLES. ILLUSTR. GYM.
DURL. RECTORI, HISTOR. ET POLIT. PROF. P.

DN. JOH. HEINRICO MAJO, PRIMARIO S. ÆDIS
AD D. STEPH. PASTORI VIGILANTISSIMO MERENTISSI-
MO, ET LL. OO. PROF. P.

DN. MICHAELI FÖRTSCHIO, SS. THEOL. LIC.
CONC. AUL. FIDELISSIMO, AC SS. THEOL. PROF. P.

DN. ANTONIO HEILBRUNNERO, SEREN. PRINC.
PAL. VEL D. CONC. AUL. MERENTISSIMO ATQUE
P. EXTERRIMO.

DOMINIS,

PATRONIS, EVERGETIS, PROMOTORIBUS,
PRÆCEPTORIBUS, BENIGNISS. HOSPITI ET FAU-
TORIBUS.

OB AFFECTUM ERGA ME PLUSQUAM PATERNUM

*Summo honoris & observantia cultu in aeternum
colendis.*

DISP. HANC THEOLOGICAM,

*Consecrare debui volui obedientiss. &
obsequi.*

TOBIAS WALTZ.



DE
COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE.

THESIS I.



ommunionem sub una specie utique licitam esse, propugnant Pontificii, negant Lutherani. Utriusque partis rationes, quas *Becanus* diffuso labore, velut integrum librum de eo argumento scripturus, proponit & expendit, quantum institutum nostrum patietur, sub examen vocaturi sumus.

II. Quoad primam *Becani* conclusionem: *aliud est institutio, aliud præceptum divinum*; partim ea nobis non refragatur, cum institutio præcise respiciat rem institutam, præceptum ulteriorem respectum involvat ad personas partim nobis maxime prodest. Ut enim præceptum personas obligat ad faciendum id, quod præcipitur: ita institutio ad faciendum rem eo modo, quomodo, ut fiat, instituta est. Vana itaque Jesuitæ instantia est, à muliere è costa viri producta & in Paradiso ei associata. Nec enim res matrimonii instituta est, ut mulier fiat ex costa & viro in Paradiso jungatur; agnoscitque *Becanus* ipse, nonnulla ad substantiam rei institutæ, nonnulla ad circumstantias pertinere. Quicquid verò res est, in Sacramento cœnæ instituta, non rei accidens, id ad substantiam S. cœnæ perinde pertinet, ut vel mas vel fœmina pertinet ad substantiam conjugii, non ad circumstantias ejusdem. Atque vinum & sanguis Christi res est. Ergo.

III. In secunda conclusione: *Christus instituit Evcharistiam sub utraque specie, non tamen præcepit omnibus usum utriusque speciei*; aperte falsum est consequens. Qui enim Evcharistiam sub utraque instituit, is omnibus Evcharistiâ utentibus utramque speciem præcipit, ut ex superioribus patet. Et qui in imperandi forma non tantum dicit: *Edite, sed & : bibite, is diserte & in terminis utramque speciem mandat*. Nec dissensus de re aliqua (si quis hic esset) veritatem rei ipsius tollit, quia alias nihil in tota Theologia Pontificia, immo nihil sub sole verum esset. Et tamen miserabili hoc argumento ubique utitur *Becanus*.

IV. Tertia conclusio: *Christus usum unius speciei & verbis & facto comprobavit*, profus nihil veri habet. Nam si Joh. VI. de Evcharistiâ agitur, mentio unius speciei tam non probat probationem unius speciei, quam non probat mentio secundæ Trinitatis personæ in baptismo,

42
44
243
26
27
28
30
35

Rom. VI, 3. baptismum in sola persona secunda; aut mentio tertiæ personæ, Joh. III, 5. baptismum in sola persona tertia administratum, legitimum esse. Lucæ XXIV, de Cœnæ sacramento, quippe quod sine calice consecrare sacrilegium est, ut ait *Th. Cajetanus*, secundum literam agi, nec unus quidem adductorum à *Becano* Patrum, si rectè verba intuearis, asserit, neque rationes convincunt. Nam & vulgaribus panibus, nullo insequente miraculo, nedum sacramento, benedixit Christus: inque modo frangendi panem agnitum esse Christum, quod fabulæ simile videretur *Becano*, non Lutherani primum, sed *Lyra* & *Dionys. Carth.* asseruerunt. Denique illa loquendi ratione nihil aliud quam tempus, quo agnitus fuit Dominus, innui, ex antiquis Patrib. *Titus Bostrensis*, & ex recentioribus Pontif. scriptoribus *Fr. Lucas Brug.* rectè docuere.

V. Quarta pariter conclusio: *Tempore Apostolorum usurpata fuit una species*, infirmis nititur fulcris. Si enim argumenta, quibus probat *Becanus*, de Eucharistia Actor. II, 12. & XX, 7. sermonem esse, in syllogismos adstrinxeris, singulorum major propositio ludibrium audientibus præbebit. Si vero ponas, de S. cœna in iisdem agi, tum in syllogismo: Si Lucas, de Eucharistia agens, unius tantum speciei meminit, una tantum species usurpata fuit. Atqui. Ergo: antecedens easdem, quas superius argumentum, à baptismi denominatione, patitur instantias. Nec mirum est, frequenter à pane solo describi sacrum epulum, cum usitatissimum inter Judæos fuerit, magisque familiare, convivia integra à frangendo pane, quam propriissimis loquendi rationibus, describi. De Nazaræis *Joh. Lorinum*, suarum partium doctorem, audiat *Becanus*: *Nolim vim magnam in hoc argumento poni, quoniam modicitas vini nec nocet nunc celebrantibus, etiamsi voverint abstinentiam ejus.*

VI. Quintam conclusionem: *post Apostolorum tempora fuit una species in usu*, non nisi ex meris conjecturis probat *Becanus*, cum ex monumentis certioribus constet, unius speciei abusum longè esse, quam ipse facit, recentiorum. Manichæi quomodo sub una accipientes dignosci potuerunt à Catholicis, si & horum nonnulli sive ex natura sive ex voto, quod largitur *Becanus*, calice perpetuo abstinerunt? Nec Manichæorum morem respicere *Gelasium*, cum ait, *divisionem unius ejusdemq. mysterij sine grandi sacrilegio non posse provenire*, ullo indicio probat *Becanus*, cujus præterea glossa, quæ sacrilegium in hæresin convertit, repugnantibus aliis Pontificiis, intolerabilis est. Præterea mulier illa Macedoniana apud *Sozomenum* simulare vini bibitionem, panis comestionem non tam commode poterat. Domesticam vero communionem pro parte communionis publicæ habitam fuisse, disertis verbis testatur *Basilius*. Denique argumento è communionem laica desumpto, quam quibusdam ægrotis

ægtotis denegare, nihil aliud est, quam eos ab omni communione excludere, ipse merito diffidit *Becanus*.

VII. Sexta conclusio: *sub una specie non minus continetur Christus, quam sub utraque*, partim incerta est, partim nobis nihil officit. Nec enim aut ex ingenio nostro, sed ex voluntate instituentis, quomodo Christus, & quid Christi in S. cœna adsit, æstimandum est, aut veritati congruit, naturaliter etiam carnem sanguinemque ita inseparabilia esse, ut alterum sine altero manducare atque bibere nequeamus. Credo enim, me sanguinem, in venis Christi conclusum, qui ibi sine carne est, sine omni dissolutione Christi, (non mortuum, quod per calumniam nobis apertam tribuit *Becanus*, sed) vivum sine carne posse accipere. Quod enim sine carne est, cur sine carne, præcipuè omnipotentiam divinam operante & sapientiam ejus, quod verba significant, volente, sumere non possim? Id si homini Pontificio absurdum videtur, Lutherano magis absurdum est, totum hominem cum carne & sanguine, immo cum anima atque divinitate, exiguo oris vehiculo deglutiri. Pone verò, sub utraque specie totum Christum adesse, tum partim consequentia vana est: ergo sub una specie totum distribuitur sacramentum; quemadmodum non sequitur: nominato in baptismo Patre, tota SS. Trinitas adest, quia Trinitas perinde ut Christus solvi non potest: ergo nominato patre totum sacramentum baptismi conficitur: partim per totius Christi sub specie panis acceptionem non satisfacit mandato sacramentario: *bibite ex hoc omnes*.

VIII. Septima conclusio: *ex una specie non minor fructus percipitur, quam ex utraque*; cum priori tanquam fundamento innitatur, illam destructam ultro corrumpit. Fructus enim sacramenti non præcise ex præsentia rei cœlestis; sed, quâ illa fide apprehenditur, dependet. Vera autem & salvifica fides unice è verbo revelato, ex. gr. hic ex institutione divinâ, dependet, à qua si recedit, salutaris amplius non est, adeoque fructu suo destituitur. Quicquid *Becanus* pro fulcienda conclusione præsentate disputat, id omne elidi insinuatam ante à baptismo instantiam potest. Quid enim impedit, quo minus retenta eadem argumentandi forma dicam? Si tota SS. Deitas, quæ est fons omnium donorum supernaturalium, non minus continetur sub DEO patre, quam sub omnibus tribus personis, certe non minor fructus ex baptismo unius, quam trium personarum sperari potest. At sine expressâ trium personarum mentione non consecrari baptismum, *Augustinus* docuit, ipseque *Becanus*, loco de controversiarum iudice, §. 29. disertè: *sensus loci Matth. XXVIII, 19. verus & legitimus est, quod in baptismo pronuncianti debeant hæc verba: ego te baptizo in nomine patris, filij & spiritus S. & quod baptismus sine tali verborum pronunciantione non sit validus.*

IX. Octava conclusio; *possunt esse legitima causa, cur potius sub una spe-*

cie, quam sub utraque laici communicent, ideo vera non est, quia nullæ pro-
fus causæ contra institutionem & præceptum divinum dispensare possunt;
omnium minime illæ, quæ à *Becano* adducuntur. Illæ enim Servatori no-
stro penitus cognitæ fuerunt, nec eas ignoravit antiqua per multa secula
Ecclesia, & tamen neque Christus neque Ecclesia *prudenter abstinere posse à
calice censuit*. *Melanthoni* atque *Brentio*, qui sub exordia reformationis è te-
nebris gradatim emergebant, errores nonnulli (qua gratia maximos scho-
læ suæ doctores prosequitur Romana Ecclesia) condonari, non autem to-
ti Ecclesiæ, quæ eosdem nec approbat, nec defendit, sed diserte rejicit, im-
putari debent. Recte *Cyprianus*: *Solus Christus audiendus est. Non debe-
mus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putavit, sed quid prior Christus,
qui ante omnes est. Neque hominis consuetudinem sequi oportet, sed DEI veri-
tatem*. Quid verò desiderabit *Becanus*, si dixerit *Brentius*: in iure suo, quo-
ad abstemios, quo minus accipiant calicem, ipsum dispensare Christum,
quippe qui ipse naturam eis implantavit, à vino abhorrentem? Si repetie-
rit dilemma suum: *aut iure divino prohibitum non est, communicare sub altera
santum specie; cur igitur Catholicis negatur? aut prohibitum est, cur igitur per-
mittitur abstemiis? Nulli nec Catholicis nec adversarij possunt dispensare in præ-
cepto divino*: instantia eundem, eo ipso, quem allegat *Becanus*, loco, præ-
met *Brentius*, à panibus propositionis desumpta, quos iure divino nemi-
ni comedere licebat, quosque sine omni culpa, (dispensante in necessita-
tis casu, non Ecclesia, sed DEO) comedit *David*. Quid respondebunt
pro *Becano* Catholicis?

X. Nonæ denique conclusionis: *Ecclesia legitime statuit, ut laici commu-
nicent sub una specie*, falsitas ex hæcenus dictis enitescit. Quicquid enim
est contra institutionem & præceptum divinum, id Ecclesia legitime sta-
tuere nequit. At ut laici communicent sub una specie. Ergo. Non
autem poterat à *Becano* simile magis dissimile ad probandam hanc Eccle-
siæ potestatem, quam id, quod à simplici atque trina mersione in bap-
tismo desumitur, & in quo frequenter sibi blanditur, produci. Instituta
est utraque species: unius vel trinae mersionis in institutione nulla men-
tio est. Præceptum est imperante verbo, edite, bibite: una vel trina
mersione nullibi mandata est. Mersio una vel trina merum accidens est,
non res baptismi, quæ est aqua & SS. Trinitas: vinum & sanguis in S.
Cœna res atque substantia est, perinde ut panis & corpus, non accidens,
quod vel quantitate vel qualitate Eucharistiam afficiat. Si itaque *Becanus*
exemplo baptismi hanc controversiam dirimere satagit, rem rei compar-
ret atque dicat: si Ecclesia legitimam potestatem non habet, sacramentum
baptismi vel aqua vel Patre vel Filio vel Spiritu S. privandi, habet autem,
potestatem, aquam & Patrem & Filium & Spiritum S. baptizandis con-
ferendi,

ferendi, vel una vel trina mentione, & aliis id genus circumstantiis: cum Ecclesia legitimam potestatem non habet, sacramentum cœnæ vel pane vel vino vel corpore vel sanguine Christi privandi, habet autem potestatem, panem & vinum & corpus & sanguinem communicandis conferendi, vel immediate in os, vel mediate in manum, & aliis id genus circumstantiis. Atque verum est prius. Ergo & posterius.

XI. Ut in conclusionibus suis probandis ubique elanguit *Becanus*: ita in impugnandis Lutheranorum argumentis hyberna glacie frigidius agit. Si Joh. VI, 35. de Eucharistia agitur, mandatum bibendi ad omnes adeo manifestè extenditur, ut cœcus sit, qui non viderit. Quæ res *Becanus* in eam absurditatem adegit, ut contra apertam oppositionem, quæ hic inter comestionem & bibitionem instituitur, atque ideo voces proprie capiendas esse convincit, manducationem & bibitionem pro eodem sumi, (quod tamen loca ab eo adducta, quippe materiam complectentia, quæ ob liquoris crassitiam vulgari usu & edi & bibi dicitur, non probant) dicere coactus fuerit. *Manducatio rectè dicitur, cum sumitur aliquid per modum cibi, sed quomodo bibitio, quum nihil sumitur per modum potus?* ait *Corn. Jansenius*, qui ideo hunc locum, (in quo solum mandatum communionis sacramentalis fundat *Becanus*) cum *Vasquezio* & *Cajetano* de sumptione spiritali exponit. *Hanc litem inter se primum componant; dico cum Becano.*

XII. Porro Luc. XXII, 19. non tantum edendi, sed totum sacramentum eo modo, quo Christus instituit, administrandi præceptum describi, Pauli explicatio comprobatur, qui eo se sine tradere profiteretur modum institutæ à Christo Eucharistiæ, ut idem eodem modo faciant Corinthiaci, ut probent se ipsos & non tantum de pane edant, sed & de calice bibant, ut quemadmodum mortem Domini annunciare, ita & sanguinem in morte fufum in rei memoriam bibere debeant. Quid de loco Pauli, à *Becano* elevato, *Dominicus Soto*? *Non est negandum, hic esse præceptum, alioquin non haberemus fundamentum præcepti celebrandi in Ecclesia.* Quid *Vasquetius*? *Qui præcipit, ut opere aliquo commemoratio fiat alicujus beneficii accepti, ex modo ipso præcipiendi præcipit etiam, ut fiat opus ipsum. Qui hoc non videat? Non videt Becanus. Nempe contradictionis spiritum habent, qui ipsos occæcat, dico iterum cum Becano.*

XIII. Marth. XXVI, 27. mandatum bibendi & Apostolos & quoscunque illi tum representabant, obstringit. Representabant autem non sacerdotes, cum Christus sacerdotis munere consecrando & distribuendo tum unice functus fuerit, sed omnes fideles. *Accipite & bibite ex hoc omnes, tam ministri, quam & reliqui credentes,* ait *Paschasius*, atque ideo & Christi exemplum Corinthiis sequendum proponit *Paulus*. Et Pontificii, qui


qui vim veritatis ferre nequeunt, in infinitas scinduntur partes. Alii mandatum hic agnoscunt, alii negant. Alii ad solos Apostolos pertinere præceptum contendunt, alii ad eos, ut presbyteros, alii alia comminiscuntur. Dicam denuò cum Becano: *solum condoleo simplicioribus, qui tam miserè ab adversariis illuduntur.*


XIV. Jam quæ Patrum fuerit de necessitate utriusque speciei sententia, id sufficienter arguit, quod unam speciem ad seculum usque duodecimum & ultra prorsus ignorent & controversias omnes, de sacrâ Eucharistia suo tempore obortas ad institutionem Christi, (quod hodie studiosissime fugiunt Romanenses) tanquam ad Lydium lapidem examinent, adeo ut id omne, quod à Christi institutione quomodocunque recedit, tanquam heterodoxum & hæreticum rejiciant atque condemnent. Legantur ex cæteris omnibus verba *Julij* Rom. Episcopi, tantopere à successorum suorum doctrina alieni, distinct. II. de consecratione cap. cum omne. Quæ verba, quia prolixiora sunt, hæc pagellæ non capiunt.


XV. Eodem loci spacio exclusus ad institutum à *Becano* rationum examen, (quarum nonnullas fingit, nonnullæ solos Reformatos concernunt) id solummodo nunc dicimus, illarum vi commorum Jesuitam, ad desperatum illud extremæ absurditatis refugium ultimo delabi, ut dicat: *Christianos non solum manducare carnem Christi, sed & bibere sanguinem ejus, quotiescunque communicant sub una specie, quia totus Christus secundum carnem & sanguinem non minus sub una, quam sub utraque specie continetur.* Quod & rationi omni, quæ carnem sanguine vel liquore replem bibi cum comeditur, puerile & ineptum judicat, & verbis Christi, qui de carne sua, quamvis noverat, eam à sanguine suo solutam non esse, non dicit: bibite, sed: edite, & de sanguine suo, quamvis sciverat, eum à carne sua separatum non esse, non dicit: edite, sed: bibite, & antiquæ Ecclesiæ judicio prorsus repugnat.


XVI. Concludimus itaque cum *Becano*, retenta eadem verborum sententia: Lutherani, qui defendunt utramq; speciem, habent pro se exemplum Christi, Apostolorum & totius antiquitatis veræ & præcæ. Habent pro se duo solidissima fundamenta, quibus tueri se possunt. Unum, quia Christus certius totus & integer sub utraq; quam sub una specie continetur. Alterum, quia non minor fructus ex utraque, quam ex una specie percipi potest. Adversarii verò, qui urgent libertatem unius speciei, nullum possunt in scripturis invenire fundamentum, illo querendo inter se dissident, nullo patrum testimonio subnixi sunt, nullo solido argumento suam sententiam stabilire possunt, immo, ut hæcenus visum est, suis ipsorum argumentis confixi refutati sunt. Ergò sub utraque specie necessario communicandum est.


Tantum.

















lli exempti sint à jurisdictione Magistratus,
quoad suas tum *personas*, tum *facultates*, idque
? A. prius: N. poster. contra *Pontific.*

Magistratus infidelis, licet ratione conscientiae
injustus & malae fidei possessor dominiorum
ratione juris civilis & societatis humanae,
*De Magi-
stratu infide-
li.*

Dominium obtineat legitimum? A. con-
nabapt. & calumn. *Pontific.*

stoli ita fuerint missi ad colligendam Christo
illis coetibus particularibus fuerint adstricti,
rii eorum Episcopi? A. contra *Pontific.* *De Regimine
Ecclesiastico
sive Ministe-
rio Sacro.*

tolatus, in quantum à communi Ministrorum
distinguitur, etiamnum duret & obtineat in
munus ordinarium? N. contra *quosdam* *De Ministe-
rio extraordi-
nario.*

er Apostolos ullus fuerit Primatus authorita-
tis? N. contra *Pontific.*

ordinariae functiones Ecclesiasticae rectè distri-
Docentium tum in Ecclesia, tum in Scholis; &
*De Functio-
nibus Ordini-
nariis.*

o nomine veniunt Seniores & Diaconi? Et
io praeferenda sit superstitione multiplicatio-
z Ordinum in Papatu? A. utrumque contra

Studia humaniora & Artium liberalium, usus
icorum, Disputationes Theologicae, Loci
Commentaria in Sacram Scripturam, abro-
nda sint, & solis Bibliis studendum? N. contra

libet Ecclesiae membro constet jus concionan-
nendi &c. dummodò in sacris literis utcun-
? An verò, secundum Ordinem à Christo in-
it Vocatione ad obeundum Ministerium Ec-
*De Vocazione
& Ordina-
tione ad Mi-
nisterium.*

bsque illà hoc legitime nec suscipi possit, nec
l. prius: A. poster. contra *Socin. Anabapt. &*